APOLOGIA PRINCIPUM, *IN QUA* PROCESSUS *IN* CAUSA SAGARUM CONTINETUR, *ET* MALEFICORUM ARGUMENTA REFUTANTUR.

SI SECUNDUM HUNC PROCESSUM IN hoc flagitio puniendo secularis Magistratus & Judex suam liberè & prolixè dicet sententiam, tunc Maleficos puniendos esse, unusquisque duarum Facultatum Theologicæ & Juridicæ judicabit.

A
JOHANNE HOFMANNO CULMBACENSI-FRANCO, jam antè sub Equitum Regimine ILLUSTRISSIMI & POTENTISSIMI PRINCIPIS BERNHARDI, DUCIS VINARIENSIS &c. Pastore Castrensi scripta,

&

Authoris sumtibus in lucem edita.

ERFURTI,
Typis Friderici Melchioris Dedekindi Typographi Academici. Anno M, DC, XXXVI.

Zäuberer/Zäuberinne vnd Hexen soll man an Leib vnd Leben straffen.

Exod. 22. v. 18.

Die Zäuberinnen soltu nicht leben lassen.


Levit. 20. v. 27.

Wenn ein Mann oder Weib ein Warsager oder Zeichendeuter seyn wird/ die sollen deß Todes sterben/ man soll sie steinigen/ jhr Blut sey auff jhnen.

Diesem Göttlichen Gesetz stimmet bey das Kayserliche Recht in Codice lib. 9. tit. 18. de maleficis & Mathematicis.

Viel gebrauchen sich Zäuberischer Künste vnd vermessen sich die Elementa zuverwirren/ vnd vnschuldige Leute zuverletzen vnd zubeschädigen. Diese/ dieweil sie der Natur feind/ sollen sie wie die Vnvernünftigen Thier vom Leben zum Tod gebracht werden.





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO JOHANNI ERNESTO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Duci, Landgrafio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti de Marca & Ravensburg, Domino in Ravenstein, Domino suo clementissimo

Omnia bona, quæ Cœlum præbet, quæ Terra parturit, quæ aër pluit, animitùs precor, & ambabus manibus subjectissimè Officiola, tantilla, qvantilla ab Agreste, Artaxerxi Regi oblata, spondeo-respondeo.

PRÆFATIO.

Σύν Θεῷ.

LItterarum monumentis traditum est Serenissime Princeps, Alexandro Magno in ipso ætatis ac victoriarum flore extincto, triste apud omnes totamq; Babyloniam silentium fuisse, tametsi nec devictæ gentes fidem nuncio haberent, quod ut invictum Regem, sic & immortalem

 esse

esse crediderant; ut vera mortis ejus fides adfuit, omnes barbaras gentes, paulò antè ab eo devictas, non ut hostem eum, sed ut parentem flevisse. Cujus quidem rei potissimum ratio fuit, quod spes omnibus abesset, totius orbis statum in libertate & communi concordia retinere posse; certò enim hærede, in quam, tantorum Regnorum cum destituti essent, publicas vires , ad se unumquemq; tracturum esse cernebant: Deinde bella civilia, quæ secuta sunt, mentibus quasi augurabantur: iterumq; non de regno Asiæ, sed de Rege ipsis sangvinem esse fundendum & novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices; erat sanè omninò difficilè, non graviter id ferre; At nos cur frangi & debilitari molestia oportuisset exemto POTENTISSIMO PRINCIPE JOHANNE CASIMIRO? Curq; mœrore tanquam fluctu ebrii, cum TE FRATREM CHRISTIANUM, non modo omnium, quæ in humanis tenuit, sed & virtutem quoq; omnium hæredem & successorem reliquerit, non videamus? Hoc verissimum, quod ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS JOHANNES CASIMIRUS p. m. jamdudum solemnibus ceremoniis PACIFICUS, si Pontificum jugum nos teneret, salutatus fuisset: Prædicant illi

laudes

laudes subditi non tàm propter nominis famam, quàm quod sub umbra & custodia degerunt nec sine argumentis, PRINCIPI LIBERALISSIMO, testis est dives Musarum exercitus & liberalitas, quæ illum non fatigavit, nisi quando cessavit; INDULGENTISSIMO, docet securitas erroris humani; CONSULTISSIMO probant hoc Consilia Principum, quibus sæpiuscule interfuit; JUSTISSIMO; didicit enim, cuiq; suum tribuere, Deo Cultum, superioribus obedientiam, paribus benevolentiam, minoribus affabilitatem, omnibus innocentiam: Equidem PRINCEPS ILLUSTRISSIME, fuit subditis cæterisq; in vicinia populis, eo extincto, justissima doloris & luctus causa. Quin immo, quemadmodum Philippo Macedone occiso diversis animorum moribus, amicorum Macedonumq; omnium haud mediocri metui & luctui velut medela quædam Alexandri Magni interventus, qui pro concione sic vulgus omne consolatus hortatusq; pro tempore est, ut metum timentibus demeret & in spem sui omnes impelleret, ita, ut corpus hominis, non virtutem Regis mutasse se dicerent: Eodem modo & subditis Tu, tu, inquam, JOHANN-ERNESTE, consolationi fuisti, luctum

&mœrorem lenisti, suppressisti, funditus sustulisti; Atq; hoc eò magis, quod ea jam â primis annis in Te animi indoles ad Virtutem, ad dignitatem, ad gloriam, ad res maximas gerendas fuit: eam constantiam, virtutem, animi magnitudinem, eam clementiam id inter Christianos pacis studium ostendisti. Deniq; Te ipsum quoq; animi moderatione & clementia in summo rerum omnium fastigio ita superâsti, ut JOHANNES CASIMIRUS ille non ereptus, sed in Te renatus videri queat. Queror quidem & simul fateor, cum per quadriennium Castra Martis seqvutus, & tanquam Illustrissimi PRINCIPIS ac DUCIS BERNHARDI Pastor Castrensis, in nobilissimo Franconiæ Theatro, de loco in locum, de vico in vicum, de Civitate in Civitatem divagatus, me cum admiratione & gemitu audisse ex quibusdam hominibus, qui JUSTITIARIOS in hoc flagitio puniendo, tanto impetu & vesano molimine, conatu quamvis irrito & frustraneo, quasi essent INIQUI JUDICES, adorti fuerunt & PRINCIPI CLEMENTISSIMO JOHANNI CASIMIRO. p. m. morosè crimen falsi sine omni ratione olim objecerunt. Novimus enim tantum ex nostris illos, qui rerum nondum adeo gnari sunt,

primò

primo auditu nonnihil turbari, si unum maleficum offendant post alium, qui Argumentis quadantenùs videtur repugnare & quasi falsum asserere, sed & maleficos eadem de causa PRINCIPIS Majestatem & authoritatem criminis ceu læsam, aut ad minimùm suspectam traducere. Ergo illi Malivolentiæ & Magiæ aculei, qui susurrant, imò illæ nebulæ, quas offundũt, masculè dispellendi sunt. Non me latet, extare id genus scripta, jam tum etiam ab aliis edita, sed licebit mihi ut opinor, aliquo modo huc accommodare illud Augustini: Utile est, libros plures â pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Utriusq; ergo deservire volui, illis, ut scrupulis dubitationum in flagitio puniendo liberentur, & in uniformi Processus veritate magis magisq; confirmentur; His scilicet maleficis, ut ad amorem & honorem Dei & PRINCIPUM alliciantur, & ab odio & crimine læsæ Majestatis, quod conceperunt, & PRINCIPI ILLUSTRISSIMO JOHANNI CASIMIRO p.m. intulerunt, plusquã vatiniano abstrahantur. Quẽ finẽ exoptatissimũ, si modo apud unũ

lib.1. de Trinit. c.3.

atq;

atq; alterum obtinuero, erit, de quo Deo omnipotenti gratias agam. Æquum autem esse censeo, ILLUSTRISSIME & POTENTISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, Processum hunc justum, secundum quem ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS JOHANN-CASIMIRUS p.m. in hoc flagitio puniendo liberè dixit sententiam, Celsit. Vest. humiliter dedicare, non solum, ut hic processus tanto Patrocinio & auctoritate suffultus ab effreni Criticorum petulantia qua naso adunco singula suspendunt, & alto supercilio rident ac exsibilant, illæsus, & incolumis evaderet; sed eapropter, quia Magnificis atq; Excellentissimis Cœli Coburgiaci Telamonibus submissa humanitate & humana submissione facimus sollicitamusq;, ut, ne Malevolentiæ & Magiæ diabolicæ aculei (qui plerunq; bona & ad sublimiores disciplinas via grassantia ingenia pungunt) mercedem defraudent & veluti præmiatores nudo detrahant præmia, h. e. Vestimenta HONORIS & VIRTUTIS, nostrum defectum suppleant. Itaque, quod dicam, nihil restat aliud, quam voluisse me hanc opellam meam sub Augustissimo Celsitud. Vest. nomine atque auspicio in publicum emittere. Quod si erunt aliqui, qui tenuiorem illam existimaturi

sunt,

ſunt, quàm ut tanto Principi inſcribi debuerit, id equidem ipſe haud inficior. Nam tenuitatem meam ipſe libens agnoſco. Verum ſi quod facio, idipſum debui , neceſſitatem officii mei, tenuitatem iſtam mihi perſvaſi, excuſaturam eſſe. Sat verò fuerit officiolum meum illud quomodocunque declarare, quam id totum intermittere. Dignetur ergo Celſit. Veſt. meum ſubjectisſimum propoſitum animo clementi atque placido accipere, & quicquid tandem hujus eſt tenue & exile in clientelam ſuam gratiosè ſuſcipere. Deus Ter. Opt. Max. ita dirigat, ut ſub Seren. Celſit. V. throno, Arbor RUTÆ in immenſam excreſcat arborem, ſub qua ſubditi requiem ipſi anhelantes ſvavisſimam captare queant; effloreſcat etiam Corona benedictionis divinæ ſuper Te, ILLUSTRISSIME & AUGUSSTISSIME PRINCEPS JOHANN-ERNESTE & ſuper Illuſtrisſimam Conjugem, quò honos nominis divini, Eccleſiæ ſalus & Reipublicæ utilitas promoveatur. Dab. Culmbachi, die Matthiæ Apoſtoli, anno 1636.

VESTR. CELSITUD.

Subjectisſimus Cliens.

Johannes Hofmann Culmb. Fr.
olim Paſtor Caſtrenſis, nunc verò apud
Culmbacenſes vitam degens privatam.

CHRISTIANO AC BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

UT est brevisſimum, mi Domine Lector, ita verisſimum, quod ille, quisquis etiam fuerit in medium protulit: In omni videlicet re difficilimum eſſe, formam optimi exponere, quod aliud aliis videtur eſſe optimum. Non eſt enim omnium hominum una facies; ſed ut in mentibus humanis multæ diſſimilitudines ſunt: alios enim dulcia delectant, alios ſubamara; ſic in ingeniis exiſtunt etiam majores varietates: Reperiuntur enim nonnulli, qui nihil laudant, niſi quod ſe imitari poſſe confidunt. Sunt, qui ſententiarum atq; verborum copia obruti, dicunt, jejunitatem, & famem ſe malle, quam ubertatem. Quemadmodum certis rationibus Glauco: apud Platonem Injuſtitiam laudibus ſummis ſuper aſtra ferebat; item ille juvenis apud Philo, in podogram, coecitatem, ſurditatem ſenum, laudes acervatim effundebat, eademque ratione Favorinus, encomiaſtes, quartanam febrim, Lucianus Gnathones, Eraſmus Roterodamus moriam magnifice commendabat: ita illi congerunt & conglomeratim exaggerant laudes immodicas, quæ neq; pudori utili, neq; mediocritati conveniunt, &, eas ab inhumanitate magis, quam â judicio profectas eſſe, ſciunt, qui pro magia diabolica, ut pro aris & focis, eminùs & cominùs terra mariq; partim hagiographia, partim jure naturali, canonico & civili pugnant, divinæ & humanæ veritati omni telorum genere oppugnant. Nam in eorum verbis ſunt Catonis gravitas,

Lib. 4. de vita Ap. cap. 9.

tas,

tas, Cælii lenitas, Gracchi impetus, Cæsaris calor, Hortensiique distributio & Ciceronis opulentia, & ea adeò in fraudem & pernitiem piorum contexta fluunt, ut secum Auditores rapiant, piis scandalum datum & acceptum, impiis non vulgare incitamentum ad peccandum præbeant. Verba maleficorum, ex libris eorundem benevolus lector petere potest. Nos de quæstionibus quibusdam, differere volumus: Inprimis verò ea, cum Maleficos maximè puniendos esse judicaverimus, nobis discutienda sunt.

Si D. L. antecedentia hilari animo, consequentia autem justâ mente accipiet, me studiis inserviendi addictissimum habebit; D. L. valeat, & Deus Ter. Opt. Max. in omnibus sospitet & prosperet.



PROPOSITIO.

Sunt autem octo puncta, quæ ordinis gratiâ adjectis numeris distinximus, de quibus singulis est dicendum.

Primo, Quid agendum à Magistratu & judice seculari in causa maleficorum?

Secundo, An severè animadvertendum in maleficos?

Tertio, Quibus modis institui oporteat inquisitionem?

Quarto, Quomodo maleficium cognosci possit?

Quinto, Quæ ad Carcerem & etiam ad tormenta sufficiant indicia & præsumtiones?

Sexto, Quomodo & quando Personæ illæ deferri, capi, & puniri debeant?

Septimo, Quis sit servandus circa totum hoc crimen, processus?

Octavo, Argumenta, [maleficos non esse pœna capitali plectendos,] quæ magici & eorundem fautores proferunt, refutantur.

PRI-

PRIMO

Quid agendum à Magistratu & Judice seculari in Causa maleficorum? Resp.

MAgici & eorum favtores accusant Principes & Judices, ut absque aliqua processus cognitione ineptè & strictè, sententiam latam in condemnationem Sagarum pronuncient: Hunc processum nominant Canonistæ nullitatis viam, quæ est processus, ex quo sententia quævis, sive in rem judicatam transierit, sive non transierit, lata est, ut contra juris ordinem facti impugnatio fiat; Processu autem impugnato, impugnatur ex consequenti etiam sententia, & sicut ille nullus esse arguitur, ita & sententia ex illo lata: Ergo iste modus accusationis est vehementer falsus ex antecedentibus, atquè dubitatus ex sequentibus rationibus; Primò, proderit enim plurimùm, ut ii Judices, qui hanc causam in hac vel illa regione cognituri sunt, videant aliquos Processus Sagarum habitos in proximis locis, ut in Jurisdictione Herbipolensi & Bambergensi. Nam ut est versimile, facinora Sagarum Coburgensium & Bambergensium & aliarum vicinarum esse similia, ita similiter ferè cum illis procedendum erit. Secundò, proderit non parùm relatio ad judicem superiorem, cum judex inferior, coram quo causa ventilatur, de jure dubitat, atq; de eo superiorem consulit: Hinc consilia sunt Doctorum seu informationes juris, quæ à partibus pro suorum meritorum deductione offeruntur; item consilia prudentûm, quæ judex petitâ Jurisconsulto uno vel pluribus, & duntaxat in definitione seu decisione causæ posita sunt, immo nihil sunt aliud, nisi sententiæ à Prudentibus quidem conceptæ, sed à judice pronunciandæ. Si enim judex ipse sententiam concipere nolit, aut non possit, Acta ad prudentes transmittuntur, à quibus sententia concepta & à judice pronunciata, dicitur sententia ex consilio prudentûm lata. Tertiò proderit multùm, evolvere libros antiquos & aliquos, qui de hoc negotio toto, doctè & breviter scripti sunt, ac præcipuè Malleum maleficarum p. 2. & 3. &

in c. dilecto, uti latè Phil. Fran. de re jud. & leg. in lib. si expressum ff. de appel. & in l. si ut proponis la. 2. c. quomodo & quam. jud. Marant. pr. 4. dist. 16.

Petrum Binsfeld. suffrag. Trevir. in tractatu de confess. maleficor. & sagarum, in quo libro secunda præsertim parte omnia ferè dubia & quæstiones, quæ circa hujus causæ processum possunt incidere, doctè admodum & solidè explicantur. Addemus Dæm. Nic. Remigii de capital. pœna conf. Publici, & alios Authores, qui maleficos esse comburendos, statuerunt.

vide Dæm. Bodin. & c. Godelmannum de magis & c. & Wier.

SECUNDO

An severè animadvertendum in maleficos? Resp.

JUdicant prorsus docti, debere quamprimùm curare, inquiri diligentissime ac puniri maleficos per Diœcesin Coburgiacam, in eaque re omnes Principes omninò id facturi, ad quod multis & maximis rationibus sunt obligati. Nam primum gravissima extat hujus rei admonitio & cohortatio ad Magistratus & Principes tum aliàs passim, tùm Exod. 22. de qua supra & Deuteron. c. 13. & non sine causa Magistratus gladium portat in vindictam malorum, ut Apostolus ad Rom. c. 13. ait. Malefici autem adeo mali sunt, ut ideo etiam malefici vocentur, quia non solùm in Deum ac religionem impii & blasphemi sunt, Levit. 24. sed etiam omnium pessimi ac nocentissimi humanæ salutis hostes Levit. 21. ut eos appellat Imp. in l. fin. C. de. malef & Mathem. Unde & pœnæ gravissimæ in eos sunt statutæ, omni jure, scil. divino, ut videndum est. 1. Sam. 28. & 2. Reg. 23. tùm etiam canonico, tum civili, de quibus suo loco dicemus. Et quidem à seculari Magistratu puniri possunt ac debent, sicut ab Ecclesiastico, cum crimen sit mixti fori, ut Juristæ tradunt.

Socin. & alii in c. 1. de Sort. Jul. C in pract. crim. § hær verbo successivè quæro. & alii.

Quapropter etiam expediet, his causis adjungi, Theologos, multis doctis & prudentibus judicibus secularibus. Quamquam alibi docetur, judices laicos de hoc crimine cognoscere ac judicare posse, etiam quando hæresin, quæ Spiritualis magia dicitur. Gal. 3. v. 1. & Deo abominabilis est Luc. 6. Esa. 66. & nominis divini abusus nuncupatur, Rom. 2. continere videtur, idq; propter rationes quas ibi addu-

Theologi ad examinandas Sagas ad-

adducit: At id consuetudine & usu forensi acceptum videmus, quod hibendi indistinctè puniantur maleficia judice seculari. Deinde ob ea Argumenta etiam conveniet, á Principibus hoc crimen severè puniri, tum quia Iehova jussit Levit. 20. tum quia sunt interfecti 2. Reg. 23. tum quia Deum omnemq; religionem abnegarunt Deu. 13. tum quia, ubi Deo renunciaverunt, maledicunt, blasphemant & provocant cum despectu maximo: Lev. 24. tum quia dederunt fidem Diabolo Actor. 8. Exod. 20. 23. tum quia permulti magi fuerunt convicti adeoq; confessi, se progeniem suam Satanæ devovisse Levit. 21. Deut. 18. tum quia sagæ parvulos pueros nec tùm baptizatos diabolo sacrificarunt: tum quia liberos suos Diabolo tradiderunt: tum quia Satanæ promiserunt: se quoscunque poterunt, ad cultum ipsius producturos, Deu. 13. tum quia honoris causâ invocant nomen Diaboli & per illud jurant Ier. 5, 12. tum quia incesta colunt adulteria: tum quia alii deterrentur Deu. 15. tùm quia eorum, quos non infecerunt, ratio habetur Lev. 12. 13. 14. tum quia boni vivunt securius Deu. 19. Jos. 7. Et denique Libri Magici sunt combusti. Act. 19. leg. Dæm. Bodin. lib. 4. cap. 5. Revera enim non est credibile terram Coburgiacam quæ in Franconia est, esse immunem ab hoc malo, quod in vicinis locis tantoperè grassari constat: Itaque propterque quod, Serenissimus Princeps; p. m. meritò potuisset malè audire, si negotium hoc neglexisset, & si posthac negligatur, timendum etiam esset, fore, ut brevi hoc malum in Franconia & Thuringia & in vicinis locis propter negligentiam Magistratus in immensum cum incredibili damno, tùm privatorum, tùm totius Reipublicæ crescat, quod ex justitia ipse Princeps Serenissimus suis subditis resarcire potest, ut est omnium Doctorum communis sententia. Est autem de Dei providentia sperandum, fore, ut, si quæ emergant ex hujus causæ cognitione in Franconia & aliis regionibus difficultates, possint cum divina gratia per prudentiam & discretionem Magistratus non minus facilè superari, quam in vicinis provinciis superatas, videmus,

sunt. in Malleo malef. in 3. p. in princ.

TER-

TERTIO

Quibus modis institui oporteat inquisitionem? Respond.

QUandoquidem opinio omnium est, vehemens adeo grassari hoc malum in Franconia, expediet, inprimis generalem institutionem instituere, imperando omnibus aliquo publico edicto, ut sub certa pœna intra certum tempus per viam Accusationis vel denuntiationis juridicæ deferant, si quid sciant, aut viderint, aut audiverint, eo certo modo, quo inquisitio criminum generalis institui consvevit. Neq; opus est, aut hujusmodi inquisitionem generalem procedat infamia, aut suspicio de aliqua persona nominatim, sed satis ad eam instituendam, est generalis persvasio, quæ omninò expediat, prodi ac puniri crimina, perniciosa Reipublicæ, præsertim adeo exitialia saluti hominum, ut patet ex his, quæ de forma inquisitionis traduntur. Præterea quoq; procedi potest ad inquisitionem specialem interrogando, aut ipsos reos delatos, aut jam ante suspectos, aut alios etiam de illis tanquam testes; Sed ut hæc inquisitio specialis legitimè instituatur, quædam sunt necessaria: Nam ut quis jure interrogaretur de se ipso, necesse est ut is sit suspectus de hoc crimine, vel propter publicam infamiam, quâ circa illud laboret, vel propter semiplenam probationem, vel propter gravia indicia, ut patet ex iis, quæ jurisconsulti docent.

Sylvest. verbo inquisit. 1. n. 7. & 10. & Sosus l. 6. de just. & jur. q. 6. ar. 3.

Th. 22. q. 69 art. 2 Sosus l. 5. de just. & j. q. 6. art 2. Na. in. Ma. c. 18. n. 57.

Infamia verò debet esse opinio plurium & proborum, ut Doctores colligunt. Semiplena probatio erit, si præter actorem vel denunciatorem accedat unius testimonium omni exceptione majus, vel indicia tali testimonio æquivalentia, ut juridica facultas notat: Indicia quoq; oportet esse talia, ut considerata natura hujus criminis meritò possit ingenerare ejus opinionem, (juxta quam. §. sequenti dicemus, si duorum saltem testimonio comperta sint, ut communis sententia Doctorum probat, & etiam constitutio criminalis Caroli V. habet, tunc id erit, necem manifestare reo, cum interrogaretur, an ipsum suspectum esse? propter aliquam ex tribus prædictis causam

ex. c. inquis & accus. Cajet. 22. q. 69. art. 2. Nav. in M. c. 18. n. 57. Sylv. verbo Ju. q. 2. 23.

ſam, ſcilicet ob infamiam, vel ſemiplenam probationem, vel indicia, ut intelligat, ſe legitimè interrogari, & obligatum eſſe ad reſpondendum; hoc enim illis indicandum eſt, ut ex juriſperitis colligitur. Ut autem non ſolum ipſe reus de ſe, ſed etiam alii de illo per ſpecialem inquiſitionem interrogentur tanquam teſtes, non ſufficit qualiscunque ſuſpicio, niſi determinatè fuerit orta ex infamia publica, qua reus laboraverit circa crimen, quod inquiritur. *Sot. l. 5. de j. Caj. 22. q. 6 ar. 2. Nav. in Ma c. 18. n. 57. l. cap. cum oport. §. de accuſ.*

QUARTO

Quomodo maleficium cognoſci poſſit?

Reſpond.

JAm verò ut cognoſci poſſit, num aliqua perſona ſit maleficii rea? inprimis perſpectam habere oportet ipſam naturam & rationem maleficii: ſiquidem tota Magiſtratus actio in eo inquirendo, dignoſcendo & puniendo verſari debet. Eſt autem maleficium (ut ex hagiographia & canonibus & communi Doctorum ſententia colligitur) opus quid excedens communem captum & facultatem hominum, Diaboli opere & libero voluntatis humanæ conſenſu factum, interveniente nimirum pacto explicito vel tacito hominis cum Diabolo. Quæ maleficia videntur omnia poſſe revocari ad quinq; genera, ut Sylveſter rectè notavit. Aut enim hujusmodi opera Diabolica fiunt ad agnoſcenda occulta & procul poſita (ut conſilia & actiones perſonarum, quæ longe abſunt, indicant) aut infirmitates & morbos mirabiliter inferendos, aut contra, ad ſanitates recuperandas, aut ad falſas & præſtigioſas apparitiones & actiones ſpectantes, aut ad motus vel mutationes rerũ & effect9 mirabiles & cõmũi hominũ judicio impoſſibiles producendos. Quapropter maleficæ perſonæ ex ejusmodi aliquib. argumẽtis & indiciis dignoſci potuerunt, quæ idonea erunt, ut ex iis conjici atq; intelligi poſſit, quippiam tale commiſſum eſſe, quod ad genus aliquod pertineat ex his quinq; diabolicorum operum, quæ argumenta eſſe poſſunt, perſonam, de qua inquiritur, hujusmodi facinoribus & pacto Dæmonis eſſe obſtrictam. Itaque malefica perſona poterit cognoſci:

I. II. III. IV. V.

gnoſci. *Primò* ex confeſſione ipſiusmet atteſtantis, ſe prædicta feciſſe, aut aliqua eorum. Secundò, per confeſſiones aliorum, qui ejusdem delicti ſunt conſortes & qui alios nominant. Tertio, ſi chyrographum aliquod reperiatur penes aliquam perſonam manu ejus atq; ab ea recognitum, quo ſe Dæmoni dedicaſſe, abjectâ Chriſti fide, profiteatur, aut ſtigmate quodam inſignita ſit, quo ſolent maleficæ eſſe (ut omnes confitentur) inuſtæ. Quarto, ſi penes aliquam reperiantur aliqua venena, hoſtiæ, bufones, membra humana, ut Papicolæ addunt, imagines cereæ, quæ acubus transfixæ ſunt. Quintò, ſi Dæmonem invocare ſolere convincantur, aut ſi minata fuerit mulier alicui malum & deinde quis reperiatur morbo aut faſcinatione correptus. Sextò, ſi teſtes aliqui ſint contra aliquem teſtificantes, quod viderint, eum veneno aut ungvento quoppiam linire animalia, quæ poſtea reperta ſint mortua, aut infantes aut alios viſu, riſu, afflatu, affatu, aliquo modo ac medio enecare: Solent enim Lamiæ nonnunquam vel ſolo afflatu vel aſpectu inſtar Baſiliſci mortem hominibus, conſciſcere. Quæ verò diximus de confeſſionibus ipſorum & de his, qui de ſe & de aliis confitentur, apud Authores, ſupra nominatos habentur. His ſignis, argumentis, quibus maleficium indicari ſolet, multa alia adjungere prudens & diligens Magiſtratus poterit, præſertim vero ex proceſſibus contra maleficos in Germania inſtitutis & ex malleo maleficarum. Cæterum cum maleficia committantur occultè, multo faciliùs cognoſcentur rei, aut ipſorum confeſſione per inquiſitionem & torturam legitime extortâ, aut teſtificatione aliorum, aut deniq; denunciatione complicum & ſociorum, qui maleficii rei ſupplicio afficientur. Ratio torturæ metu extortæ vera erit, non modo indagandi maleficia ipſa propriè, ſed alia quoque facinora, quæ patrare ſolent, & pari vel minori pœnâ ſunt digna, ut idololatriam, Dæmonis adorationem, religionis Chriſtianæ abnegationem, actionesque nefandas ac ſacrilegas erga venerabile Sacramentum, aliaq; hujusmodi.

vide Dam. Bod. l. 4. c. 2.

Bod. lib 2. cap. 8.

Eſt enim hoc maleficii crimen, ſuper quod judices poſſunt ac debent interrogare reos de ſe confeſſos in tormentis, num quos ſocios aut ejusdem criminis participes norint? eisq; credere, cùm aliquos

quos

quos ejusmodi denunciant, ut copiose & accuratè multis argumentis & auctorum testimoniis Pet. Binsf. probat. Sed tamen, ut huic denunciationi criminum participum fides adhibeatur, oportet eam reo fieri non facilè ac leviter, sed tortura adhibita vel injecto metu torturæ, ut idem autor rectè censet & asserit; sufficere unius rei denunciationem ad inquirendum denunciatum & ex eo indaganda alia indicia sunt, non tamen ad torquendum, nisi plures eundem denuncient, aut alia indicia accesserint.

l fin. C. de Mal. & Matth. in tract. seu q. de Conf. mal. p. 2. in pr. & cond. 1.

Illud etiam judicibus cavendum erit, ne quo medio illicito crimen indagare studeant, aut falsa promissione impuniant, aut falsa asserenti, si reus fateatur, illum jam ab aliis maleficis esse denunciatum, credant, ac multominus per probationem (ut vocant) aquæ frigidæ ad experiendum, utrum hæc vel illa esset rea, aliquid tentent. Insuper neq; malefico alicui ex arte sua magica & diabolica asserenti personam aliquam esse sagam credendum est, nisi ea maleficia de illa contestentur, quæ etiam sensu humano percipere potuerint, ut cum una malefica aliam in tortura denunciet.

Hæc probatio stolida est; Quamvis quidam Physiologi affirment: tum quia diabolum esse spiritum suâ naturâ levem & omne leve tendere sursum; & diabolum obsidere veneficas: tum quia naturalem esse antipathiam inter veneficas & aquam, quâ ablusæ in baptismo sunt; Prima ratio nullius est ponderis. Gravitas enim & levitas proprietates corporum sunt: ac proinde in diabolum, qui Spiritus, cadere non queunt. Secunda fallit: nam si istius modi antipathia inter veneficas & aquam esset, utiq; nunquam possent eandem lotionis causa ingredi.

QUINTO

Quæ ad Carcerem & ad tormenta etiam sufficiant indicia & præsumptiones? Respond.

Porrò ad conjiciendum in carcerem hæ præsumptiones & indicia sufficient. Primò, si apud aliquem reperta sint ea, quæ ex Bodini præcedenti §. diximus. Secundò, depositio ac nominatio consortis ejusdem criminis in tormentis confirmata. Tertiò, infamia, quæ non â malevolis & inimicis originem habuerit. Quartò, denunciatio facta ab aliquo ho-

mine

mine fide digno contra personam aliquam. Quintò, querelæ partis offensæ vel damnum vel injurias passæ ab aliqua persona malefica. Sextò, confessio extra judicium facta. Septimò, omnia alia indicia, quæ regulariter in aliis criminibus viam judicii aperiunt ad inquirendum contra aliquem; quæ omnia passim apud rerum criminalium authores & scriptores habentur. Hæc eadem & etiam aliquando leviora in hac causa ad capturam sufficere poterunt, nisi forte tales sint circumstantiæ particulares in aliquo casu, ut aliter oporteat procedere, id quod ex judicis consultis præsertim Serenis. Principum discretione & prudentia pendet, ad torturam vero quæ sufficiant, Doctores dicunt, universale aliquid de hac re tradi non posse propter casuum & personarum diversitatem, attamen tres proponemus regulas, quæ id declarabunt & ordinariè observandæ sunt. Prima est, omnia indicia, quæ ad torturam regulariter sufficiunt in aliis criminibus, multo magis in hoc crimine, quod & difficillimæ probationis est. Est enim D.d. sententia in ejusmodi delictis, quæ difficulter probari possunt, promptiorem esse judicem oportere, quàm in aliis criminibus ad subjiciendum reum torturæ. Itaque mala fama in hoc genere delicti, rei inquisita mendacia, vacillationes, trepidationes, & alia, quæ simul juncta alias quoq; judici præstant judicium ad torturam, in hoc crimine absque dubio sufficientia nobis esse videntur. Secunda regula est, sufficiet enim ad torturam denunciatio alicujus participis facta, ab uno etiam hujus criminis reo in tortura vel metu torturæ, si modò accedant aliqua alia indicia vel præsumptiones. Idem sine aliis indiciis sufficiet talis denunciatio facta â duobus vel tribus reis in tortura vel torturæ metu, si hi sunt viri, vel â tribus, aut quatuor, si sint fœminæ, ut fusè & accuratè prædicti authores confirmant. Alii etiam prudenter notant in hujusmodi criminibus alioquin occultis, plures faciendas esse hujusmodi denunciationes, quam indicia, cum hæc plerumque aut non suppetant, aut sint varia & incerta. Quamquam neq; hæc negligenda sunt, præsertim, si talia sint, quæ eventu ipso probari & cognosci possunt, ut si qua persona dicatur, per maleficium intulisse aliquod damnum tali die, tali loco, talibus rebus &c. tunc enim, si id

Jul. Cla. in §. fin. q. 6. Æg. Bo. in tit. d. capt. n. 1. cum seq Bl. in pract. crim. v. bis sic præmiss. n. 26. sed luculentius Prosp. Ferr com. op. crim. q. 27. â n. 117. usq; ad n. 133. Bart. in l. ul. ff. d. qu. Br. in tr. de jud. & tort 2. p. q. 8. n. 2 Cl in. pr. §. q. 64. ver. & ideo. Binsf. l. citat concl. 5.

damnum

damnum illatum fuisse reipsa comperiatur, non exigui ponderis tale indicium videri debet; In quo toto genere solertia atq; diligentia judicis in percunctando & indagando plurimùm valebit. Tertia regula, si concurrat diffamatio vel aliud indicium & simul reperta fuerint apud reum vel venena, vel hostiæ, vel bufones, vel alia, quæ supra §. 4. recensuimus, procul dubio locus esse poterit malæ famæ, & id scilicet indicium esse ad tormenta sufficiens, viri literis haud leviter tincti statuunt. *Cl. q. 21. in fine.*

SEXTO

Quomodo & quando Personæ illæ deferri, capi, & puniri debeant? Respond.

DEferrentur autem personæ suspectæ hujus criminis per viam inquisitionis generalis aut specialis, juxta ea, quæ sunt dicta. §. 3. apud judices deputatos & competentes Notario delationem scribente, apud acta fideliter & diligenter, & in præsentia etiam duorum testium fide dignorum, qui nomina deferentium reticere & nemini publicare debent, sicut fit in causis gravissimis, quales procul dubio hæ causæ criminales maleficii sunt. Quod ad capturam attinet, respondemus, eos statim capiendos, cumprimum indicia sint legitima & eo modo, quo alii capiuntur. Non multis authoribus placet quorundam superstitio, qui circa ejusmodi reos in eo maximè sunt solliciti, ut capiant maleficos, dum in lecto jacent, aut ut non tangant terram, quia experientia [ut ajunt] comprobata sit, eosdem, cumprimum ita capiuntur â ministris, magnoperè consternari & totam artem diabolicam cessare: suadent tamen aliqui Doctores, eos statim, si capti sint, examinari, etiam antequam ducantur ad carcerem, quia tum melius inveniatur veritas, & indicia habeantur ex vultu & responsionibus ad interrogationes: & cum sint examinati, si fieri commodè potest, docent, eos non esse relinquendos solos in carcere, quod tamen prudentiæ judicis committendum. Neq; est curandum, si fortè contingat, personam aliquam postmodum innocentem invenire, & â ju- *Pet. Binsf. in tract. de Confess. Mal. fol. 39*

dice

dice absolvi; Nam si absolvetur, ex ipso recuperabit famam, si quis ejus jacturam ex carceratione fecerit, & eam non omninò recuperet, tamen habet omnis Magistratus potestatem, ut postponat privatum damnum alicujus, bono communi Reipublicæ, quod ordinariè ex tali modo procedendi contra criminum suspectos sequitur. Quamvis curandum ne fortè contingat aliquando, ut secundum allegata & probata condemnetur is, qui etiam revera est innocens, eò quòd plus intersit Reipubl. ut secundum allegata & probata, quæ ut plurimum veritate nitantur, feratur sententia, quam ut nunquam contingat, condemnare aliquem innocentem: Quodq; adeò verum sit, ut plerique Theologi & Juristæ sentiant, rectè judicem damnare eum, qui secundum ordinarium jurisprocessum probatur reus, quamvis ipse judex privata sua scientia nosset, illum innocentem & falsò delatum esse. *P*orrò tunc punientur maleficæ personæ, quando servato juris processu & crimine sufficienter (eo modo, quo juris & moris est;) cognito, sententia condemnatoria lata fuerit. In hoc autem puncto quæri potest, an inquisiti confessio legitimè facta in judicio ad condemnationem ejus sufficere debeat? Resp.

Bern. Sp. in tract. d. st. & Malleus mal.

Sunt enim authores, qui opinantur ejusmodi confessiones non esse attendendas; plurimi autem contra, sic putant ex communi & approbata sententia, confessiones istorum virorum sive mulierum attendendas esse, & in eis judicem se ad puniendum reum posse fundare. Itaque ex eo, quod aliqui Dd. in hac vel illa quæstione singularem habuerint opinionem, non propterea scrupulum habere debet judex, cum hæc sit communior & verior sententia. *P*unientur autem juxt. l. nemo & l. multi, c. de malef. & Mathem. & quidem eadem, quæ in vicinis locis de jure & consvetudine maleficis infligi solita est. Notant autem communiter Dd. in hujusmodi criminibus atrocibus naturâ suâ secretis, probationem per conjecturas & indicia ac denunciationes complicum, etiam sine propria rei confessione sufficere quidem ad condemnandum, & postmodum supplicium de maleficis dignissimum sumere confirmant, quia Deus pœnam capitalem decrevit eis atq; adeo inflixit & infligi jussit, immo tam divina quam humana lex vult, ut venefici pœna temporali afficiantur

Malefici pœna capitali plectendi sunt. l. Ex honesto.

ciantur, de qua re in §. 2. diximus. Nam ut justum est innocentes defendere: ita justum est, in maleficos animadvertere. Quantum sit malum magia venefica, in hagiographia ostenditur. Iram Dei provocat, homines necat, facultates absumit, & quando à maleficis pœna capitalis exigitur, tunc publica divina pœna avertitur. Quando autem Magistratus in suo munere est segnis ac vecors: tandem pœna in nos omnes tanquam diluvium inundat. Videmus itaq; , quâ isti malefici pœna coerceri possint.

II. Ex legitimo.
III. Ex Justo.
Jerem. 19.
Deu. 18.
2. Sam. 28.
IV. Ex utili

SEPTIMO

Quis sit servandus circa totum hoc crimen Processus? Resp.

QUalis & quonam ordine instituendus hàc in re processus, ex dictis hactenus perspicuum est: attamen quædam sunt notanda. *P*rimum est, in hac tota causa id esse servandum, quod in similibus causis criminalibus, in quibus de vita hominis & honore agitur, dandasque defensiones reis, audiendos advocatos; sicut in cæteris causis. Qua de re extant multa apud Malleum maleficar. in 3. p. ubi illud prudenter monet, nomina testium contra reum testificantium non esse edenda reis & eorum advocatis, quando propter personarum potentiam testibus aliquod periculum imminere posset. Quod si nullum sit periculum, ea esse edenda, sicut in aliis causis regulariter fit. Alterum est, ut dum maleficæ Personæ in carcere detinentur, adsint remedia spiritualia ad propulsandam vim & injurias Dæmonis, ut fœderis cum Christo in baptismo facti admonitio, seria nominis divini invocatio, frequens verbi divini lectio; item ut præstò sint *P*astores Ecclesiastici, qui reos de ratione officii sui, tùm in ipso judicio, tùm in placando & propitiando sibi DEO diligenter & mature admoneant & institu-

instituant. Tertium est, ut post sententiam condemnatoriam latam nullus amplius justificationi aut tergiversationi reorum detur locus, etsi piè admodum ac benè animi dispositi esse videantur, cum priora retractent: Prioribus enim confessionibus & denunciationibus solenniter atq; ex juris ordine standum, tum ut firmitatem obtineant suam processus juridici, tùm ut esset finis hujusmodi actionum, tùm ob alias rationes, quas hîc recensere non opus est. Quamquam denunciatio morientis de aliquo participe criminis nonnullam præsumptionem facit, sed si non tantam, ut sola ad torturam sufficiat. Quartum est, ut, qui rei ad mortem ducendi sunt, diligenter disponantur & instituantur ad ritè faciendam confessionem, & ea præmissa muniantur quoq; sacra Eucharistia, pridie, ante, vel quatuor saltem horis ante supplicium, si fortè ob aliquam causam prius fieri non possit. Si enim hi veram præ se ferant animi pœnitentiam, non est, cur tanto subsidio ad mortem piè obeundam priventur? Possunt & alia multa particularia quæ admodum agendi cautè & securè cum maleficis in carcere & ante supplicium spectant, peti ex processibus
Att. 8. jam habitis, & ex Malleo maleficarum, p. 3. Cum autem ego divinarum virium fretus, processum quendam confecerim, qui simul ac adhiberi cœptus fuerit, justitiam & veritatem aperiet latissime; & quid in hoc processu, Dei ope nisus, ac fisus, præstiterim, aliorum sit judicium: Nam non tantum firmissimo divinæ veritatis firmamento affixus est Magistratus tenacissimè: sed connixus quoque, & ut vidimus, consecutus est, ut Christianus ac Juridicus processus ritusq; in omnibus curiis Deo sit laus pedem ac sedem fixam, quam habuit, retineret: e contrario ab iis maleficorum, sagarum, pythonum, veneficarum & id genus aliorum susurri, quibus est iter ad tartarum, atq; mortem non hanc momentaneam, sed æternam, cum exularent, tum exulatos pergere juberentur.

Progredior jam ad Argumenta eorundem, qui inprimis Christianæ non fidei, sed perfidiæ quæ Dei dicta vellicat, jura humana lancinat, infarcit scelestas corruptelas, easq; jactat non secus ac cœlitus

lapsas

lapſas, ſunt aſſertores & propugnatores, creſcant & diligentes volvant cogitationes curasque nectant, ut inſtar, Simonis Magi imperitæ plebi paulatim ac ſubtiliter obtrudant, ſemetipſos eſſe prophetas, medicos, omniſcientiæ & omnipotentiæ Deos: *Proh dolor!* Unus vel alter ex illis hoc ſibi imaginetur, ſemetipſum eſſe, qui in Samaria quaſi *Pater* deſcendit: inter Judæos quaſi filius apparuit; & in reliquis gentibus quaſi Spiritus Sanctus adventavit: Atque ejuſcemodi atrorum tenebrionū technas prænominatus Simon magus graphicè hominibus depingere, à teneris aſſvevit. At *Principes* & judices è cœlo zelo incenſi, & bono divini numinis ac nominis afflatu perculſi, quos lex imbuit melior: lux diſtinxit purior: quique meruerunt exemplis eſſe, ad quorum imitationem ſubditi vivant, id conſtituent & collocabunt in Rempublicam ut etiam cuncta, ut in trito eſt adagio, ſtent talo: Benignitas & veritas obviabunt invicem: Juſtitiæ & Pax conjunctæ erunt; veritas de terra pullulabit & juſtitia de cœlo proſpiciet. At quorum interventu? Annon quia Magiſtratus rerum ſummæ ſapienter ac ſcienter præeſt: juſtitiam æqualiter adminiſtrando, exquiſite laborans, ut cum infimis ſummos pari jure retineat. Porro ex hac publica felicitate, felicitas privata in rem familiarem depluet copioſisſimè. Nam durante cultu Dei & tranquilla regione œconomia non poteſt non optatis frui atq; potiri: etiamſi quædam gravamina propter peccata noſtra irrepant ſerpantque, in quibus tamen, ſi ad melioris vitæ viam properemus atque feſtinemus, divinitus animamur & amamur.

Act. 8.

Pſalm. 85. v. 12.



OCTAVO

Argumenta, quæ magici & eorum fautores contra pœnam maleficorum capitalem proferunt, refutantur.

IN hoc autem controversiæ statu adhuc quæstiones oriuntur diversæ, primò, an malefici capitali pœna juste sunt plectendi? affirmativè ex. §. 2. & 6. respondetur, & ubi latius, veneficas propter enormia delicta ad ignem condemnare debere demonstratur, & quomodo & quando puniri debeant in §. 6. cernitur; Protinus observetur, qui nam sunt malefici? eos paucis ostendam. Sunt quidam blasphemi, sacrilegi qui volantes in sinum Dei, quod propriũ Deo est, nempe omnia præscire flagitiosissimè sibi assumunt.

Satan potest facere mirabilia, ast non miracula, quæ solius Dei sunt. Job. cap. 3.

Isti natalia, fata hominibus, fatalia portenta civitatibus, mirabilia secreta omnibus se posse prædicere jactitant, & sanè laribus suis instructi, multa mira, miracula verò nulla omnino faciunt, oculum sæpè præstigiatores, at animum sæpè divinatores fallunt. Exinde apparet, hanc magiam (ut malefici vocant) naturalem & veneficam simul à Diabolo originem trahere: vocatur quidem naturalis, non quia naturaliter fit, sed quia opinione apparet naturalis, licet revera non sit. Est quidem differentia inter naturalem & diabolicam magiam; sed non pauci, (quia naturalem genuinumq; naturæ usum venari atq; aucupari laboris est maximi) ob difficultatem, aut avelluntur, aut asperis hamatisque errorum sentibus implicati, & irretiti tenentur: Primo enim, verbis aut creaturis quidam ita abutuntur, ut diaboli ope sive efficiantur res non necessariæ, aut ad explendas cupiditates malas, aut ad ostentationem, aut ad vitæ commoditatem spectantes (apparenter non verè) sivè ab illo accipiantur ea, quæ à solo Deo petenda aut expetenda sunt: Deinde quidam cum Satana fœdus ineunt, si non apertè, tamen opertè, cum in corde fidem adjungant diabolo & ejus diabolicis operibus, ut Manasses garritum avium observavit. Quamvis hæc peccata non sint punita, tamen tali pœna digna fuerunt, de qua in

Non verè naturalis magia est, sed duntaxat apparens.

Peccant 1. verbis 2. factis

Est autem apertum fœdus, si

in objectione 6. agemus. Jam nunc magiæ diabolicæ probatores & maleficorum propugnatores adducimus, ut illos, quam mali sint Logici: pejores Theologi: pessimi Christiani, audiamus.

quæ non solum diabolo fidit, sed etiam cum eo hac conditione, ut ipse tradat in potestatem diaboli ut vicissim certis ceremoniis res optatas consequatur.

PRIMA OBJECTIO.

QVi utile præstant Reipublicæ, pœna capitali non sunt tollendi.

Sed magici & eorum fautores utile præstant Reipublicæ. Ergo pœna capitali non sunt tollendi.

Minor constat, quia multa prædicunt isti Parcarum interpretes, quæ Reipublicæ scire plurimum interest, hinc multorum scripta & somnia pro oraculis apud nos nunc habeantur. Respondeo ex inversione syllogismi & à testimonio sacræ Philosophiæ, quæ ad istos nos convertere non solum prohibuit sed etiam in capitalem pœnam sic facientes condemnavit, tali modo concludo: Utile & salutare est, ut capitali pœna auctores seditionis tollerentur, sed magici sunt auctores seditionis; Ergo magici capitali pœna sunt tollendi. Assumptio hujus Syllogismi est, quia magici de conversionibus rerum publicarum & de fatis magnorum Principum mentiti, statum administrationis perturbant, animosque subditorum distrahunt, (quod nostro ævo sub Imperatore Ferdinando. II. videndum est) & denique vitales quasi Spiritus Reipublicæ exhauriunt, ut sub Iren: & Constantino in Græcia, sub Heinrico. VI. & Edvardo. IIII. in Anglia, factum est: Si hoc argumentum magici protinùs intuemur, fatendum est, multa vera & mira istos prædicere, sed cum plura falsa & periculosa fingant, cumq; modus dicendi sit execrabilis, tunc præstat, à divina providentia solum dependere, quam tam detestabilem scientiam admittere. De nostris magicis nihil dico, quos multi magos: non magicos appellant. Unus doctus, alter somniator existit: etiamsi eorum verba & consilia salutaria appareant: siquidem directa sunt ad malum finem & malum est medium. Christus noluit admittere testimonium Satanæ, quantumlibet à veritate non alienum fuit. *Marc. I.*

Act. 16. Paulus ac Silas objurgarunt Pythonissam, licet vera narrantem. Nam non omnia possunt præsagire, id quod patet ex Magis Gen. 41. Primò prædicant quidem ea, quæ Diabolus est facturus potestate à Deo impetrata. Deinde prænunciant quoq; ea, quæ à naturalibus causis fore cognoscunt Dæmones, siquidem in aëre versantur. Deniq; revelant ista, quæ diabolus didicit, cum obambulet & pervadat terram. Exinde illam artem esse diabolicam, quam summo semper pretio habitam & injuria matrem sapientiæ à quibusdam appellatam videmus. Utimur autem hoc argumento, quo hujus objectionis nodus difficilimus solutus erit: per istos magos prædicit Spiritus bonus, aut malus. Non autem bonus: quippe quo carent Rom. 8. Eph. 4. Ergo malus, qui mendax. Johan. 8.

1. Reg. 22. Job. 1. 2. Eph. 6.

SECUNDA OBJECTIO.

MAgos occidere est contra charitatem. Ergo non est licita. Antecedens probatur, quia charitatis affectio ardens est & omnes diligit, cujus vox est, nolo mortem peccatoris, sed potius ut convertatur & vivat: Si Deus justus peccatores mori noluerit, cur Princeps imago Christi, tot cives occideret? Christianè respondetur, hanc objectionem esse lubricam & caducam, nam malefici & eorundem fautores; ut solent, ludunt.

Etsi enim charitatis affectio se ad omnes diffundat, suaque vi non aliter, quàm ignis singulos in se contendat vertere, rectè tamen cum hoc affectu severitas justitiæ constet & copuletur: nam charitas illa, quæ promisit zizania usq; ad messem crescere, jussit messores suos, eadem flammis tandem consumere. Quare etsi Christus mortem ad tempus differat expectans pœnitentiam, si tamen non sequatur, gravius morte præparabit supplicium: Deinde Malefici non dilectionem erga Deum & proximum norunt, nec credunt sibi gratis ignosci, aut se exaudiri, sentientes quidem iram Dei, ut Saul adversus judicium Dei fremunt, pœnas illudunt quò fiant duriores.

penes illos est ignorantia privati
onis mala

riores. Qui igitur in sceleribus contra conscientiam perseverant, neq; conversio ad Deum neq; fides in his expectatur, juxta voluntatem hypotheticam judicabuntur. Esa. 28. Jer. 18. v. 10. 11.

TERTIA OBJECTIO.

QVod per se malum est, non licet, sed hominem interficere est per se malum: ergo non licet. Minor probatur, quia hominem interficere, est optimum naturæ opus & effectum corrumpere quod per se malum esse videtur. Respon. Nos ut explicaremus pias conscientias ex his labyrinthis Sophistarum, id constituimus: Hominem occidere esse per se malum, sed pernitiosum hominem tollere esse quidem Reipublicæ bonum. Judex non hominem, sed vitium extirpare contendit, sed cum in multis hoc fieri non potest sine nece corporis, sapienter præscriptum est, ut potius pars una pereat, quam ut totum præceps in discrimen ruat. Nam omnes quidem sumus pleni dubitationis, securitate negligentes aut in invocatione errantes, contaminati pravis cupiditatibus, leviter curamus iram Dei, abutimur beneficiis, omnes sumus ingrati filio Dei, ideo non miremur, universum mundum opprimi fatalibus pœnis, quæ sunt signa iræ Dei? sed probi perpetrant peccata venialia, quæ non per se, sed propter Christum, si in vera fide ad illum se convertant, paterne dimittuntur: Malefici autem delicta mortalia & in Spiritum Sanctum peccata committunt, quæ pœnâ temporali secundum voluntatem Dei legalem videlicet approbantem justa & damnantem injusta, plectenda sunt, immò æternâ, juxta voluntatem consequentem, severè & acerbissimè, punientur. Job. 3. v. 28. Quod autem penes maleficos peccatum mortale potius sit, quam veniale, ostendunt hæc duo infallibilia mortalis criminis indicia & requisita. Nam hoc maleficium plena voluntate committatur, & isti non resistant, sed accedat delectatio & continuatio. I. II. Si denique palam erit, illos contractum opertum cum Satana iniisse, quo casu extraordinaria pœna, ut fustigatione, relegatione, mulcta pecuniaria

Joh. Brent. in Ep. ad Heerbr. Ant. Prætor in sein grundl Bericht von Zauberey vnd Zauber. Aug. Lercb. in Christlich. Bedenck. von Zauberey D Godelm. l. 3. d. mag. & c. 11 § 31. 33. Menoch cas. 388. n. 1. Lau Kirchov. consil. 12. Tom. 2 Ger 111. N. 19 Althus. in Jurisp. R. c. 52 l. 1. Joann. Fich con. cx11. 14

resipiscentes puniri possunt. Id quod constitutio Caroli Imperatoris monet & p. 209. hoc innuit: Wo aber jemand Zauberey gebraucht/ vnd damit niemand Schaden gethan hette/ sol sonst gestrafft werden nach der Gelegenheit der Sache/ darinnen die Vrtheiler Raths gebrauchen sollen. So aber jemand durch Zauberey Schaden vnd Nachtheil zugefügt/ soll man jhn straffen vom Leben zum Tode / vnd man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. Hanc sententiam præstantissimi Theol. & JCti approbant.

QVARTA OBJECTIO.

Quicquid peccat in magia diabolica, illud est puniendum. Atqui sola voluntas in magia diabolica peccat, Ergo sola voluntas hominis est punienda. Resp. Hic Syllogismus non est multi ponderis, idcirco plane prosternitur, & alius rursus erigitur, tali forma: Aut voluntas hominis sola in magia diabolica, aut voluntas cum actu hominis conjuncta peccat; sed non sola voluntas. Ergo voluntas cum actu conjuncta in maleficis peccat: primò, hoc probetur ex motu voluntatis; quando enim voluntas movetur ab intellectu ad apprehendum objectum, sed tamen sufficientia media non videt, quibus ad finem (puta finem propinquiorem, qui est rerum cognitio & actio) perveniendum sit, tunc non solum scire sed & simul operari, deliberationem instituat. Certum est hominem non sola voluntate in re venefica, sed actu totius corporis peccasse; quia eorundem lingva maledicit & blaspemat, 1. Sam. 28. oculus illorum mala videt, auris pejora audit, manus pessima tangit, pes ad pessimorum pessima currit. Nonne eorundem auditus lædit? Nonne visus eorundem instar Basilisci nocet? nonne tactus illorum, innocentes inficit, mirabilia facit, fruges terræ perdit, tempestatem movet, & lumen obscurat? Gustus inania & apparentia sentit, vel cogitatione animi illudit: Odoratus illis est dedecori; nam pro svavi odore illis erit foetor

Exemp. doc. & experientia testatur. 1. Sam 28. 13 Ex. 7. 8 9. 10 Actor. 8. Ps. 69. v. 24. Deut. 18. v. 10. 11. Apo. 16. v. 14 1. Reg. 22. v. 21. 23 Mat 8 Mat 5. v. 8. 22 Mat. 15. Mat. 8.

fœtor, & fœtor de cadavere eorum adſcendet. De qua re Chriſtus docet, ita loquens: Lucerna corporis eſt oculus, ſi igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quod ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen, quod eſt in te, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? Malefici enim interdum aliquid veri præſtare queunt ſed ad fraudem, Deo permittente mit allerley lügenhafftigen Kräfften vnd Zeichen vnd Wundern/ vera igitur magia ſalutatur, quia veri aliquid habet. Deinde, ut voluntas eſt ſubjectum ad convertendum patiens, ita eſt ſubjectum agens ad malum, ex qua tanquam flumine ſcaturiunt innumerabilia peccata, ſcil. idololatria, dæmonis adoratio, religionis Chriſtianæ abnegatio, actionesque nefandæ ac ſacrilegæ erga venerabile Sacramentum, nec non verbi divini & miniſterii contemptiones: Proinde ſequitur inobedientia & injuria, damna, occiſiones, commeſſationes, ſcortationes, adulteria, furta, & id genus alia. Veriſſimum autem eſt, quod Apoſtolus Jacobus in Epiſt. c. 2. v. 10. profitetur, ὁ πλαίσει ἐν ἑνὶ νόμῳ γέγονε πάντων ἔνοχος.

Eſa. 34. v. 9
Eſ. 3. v. 24.
Matth. 7. v. 22.
Luc. 11.
2. Theſ. 2. v. 9.
Qui offenderit in uno præcepto factus eſt omniũ reus.

Darumb ſchlieſſen die Theologen recht/ vnd lehren Chriſtlich: in dem Göttliche vnd Weltliche Geſetz die Hexen vnd Vnholden Straffwürdig erkennen vnd zum Tod verurtheilen/ daß ſolches nicht deßhalben geſchehe/ alſo ob ſie eigenes Willens die Elementa vnd Geſchöpff Gottes verendern oder verwirren könten. Sondern darumb/ daß ſie ſich Gottes vnd deß Chriſtlichen Glaubens verzeihen/ den Bundt jhrer heiligen Tauff brechen/ ſich gantz vnd gar dem Teuffel zu eigen geben/ vnd von jhm dermaſſen eingenommen ſind/ daß ſie nichts anders begehren/ denn den Menſchen allerhand Schaden zuzufügen.

NB.

Tertio in hoc Theologiæ cornu, Philoſophia, quæ rerum admirabilium cauſas aperit, unanimiter aſſpirat: Quod ſingulares enim actiones ex libero voluntatis arbitrio prodeant; ideoq; ad illas producendas mediis eſt opus, gradus igitur. 10. quibus utuntur malefici,

leficî, in hoc voluntatis actu observandi veniunt. Primus januam aperit & dicitur ὄρεξις h,e. primus impetus, qui oritur ab objecto. Secundus nominatur ὁρμὴ motus subsequens appetitus sensitivi à ratione nondum illuminatus. Tertius γνῶσις h. e. cognitio intellectus. Quartus nuncupatur motus intellectus, qui tum fit, quando intellectus objecto cognito voluntatem movet, & objectum apprehendit. Quintus est motus voluntatis h. e. quando voluntas quidem movetur ab intellectu ad apprehendedum objectum, sed tamen media sufficientia non videt, quibus ad finem perveniat, tùm voluntas vicissim movet intellectum ut consultet, h.e. ut de mediis, quibus ad finem perveniendum sit, deliberationem instituat. Sextus Mediastinum agit, consilium intellectus. Septimus excipit voluntatis decretum, quod aliàs dicitur propositum. Octavus nominatur electio, quia voluntas unum ex illis, de qvibus deliberatum est, appetit spretis reliqvis. Nonus est βύλησις volitio, quæ est proprius voluntatis actus, ubi per τὸ velle non intelligendum est velle simpliciter (hoc enim naturale est & mediarum actionum ordinem non ingreditur) sed velle hoc vel illud, quod aliàs dicitur velle relativum. Decimus januam claudit & dicitur actio, quæ est eorum, quæ deliberata sunt, quæque voluimus, executio. Etsi semiplena voluntas penes illos esset & volentes non haberent voluntatem integram supra totam actionem magicam cadentem, tamen istam maleficii petulantiam volebant: Quia omnis actio à fine ultimato denominationem accipit, atqui finis ultimatus maleficorum est rerum diabolicarum cognitio &c. & vitæ æternæ privatio, quam ipsi unicè exoptant. Ergo ipsorum actio est voluntaria: maleficus igitur id, quod materialiter & in se injustum est, ut hæc ars, quæ nihil aliud est, quam vana insanaque superstitio, expetit, non tamen sub ratione injusti appetit, sed sub specie & figura justi à prava scilicet imagine seductus, existimans illa, quæ verè injusta sunt, justa esse; id autem, quod formaliter in voluntate cum actu hominis conjuncta consideratur, fit per expressum discursum inqvisitivum mediorum ad propositum finem, qui est rerum cognitio & actio.

Quartò, si voluntas potest, punitur, sed in hoc flagitio non potest

est sine nece corporis puniri, quod diligenter in decernendis processibus super fracta pace considerandum est, ut non tam ipsum factum, quàm nocendi & offendendi voluntatem spectemus, non refert, an is, qui citatur, occiderit aliquem, sed an occidere voluerit? an in arenam convocatis hominibus armata manu descenderit, text. in d. l. idem est. §. qui arm. i. & in d. l. dolo. §. fin. crimen enim contrahitur, si & nocendi voluntas intercedit. text. in. l. 1. c. ad. l. Corn. de sic. & in d. l. Divus ff. eod. & dolus & propositum hominum maleficia distingvunt, text. in. l. qui injur. ff. de furt. & in l. quod Reipub. ff. de injur. item ex voluntate peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio & delinquendi proposito committuntur, text. in c. 15. q. 1. Quapropter si quis armatus de industria, dolo malo, hominibus coactis, domum, castrum vel prædium alterius invadat, etsi neminem lædat aut occidat, sed lædere & occidere voluerit, rectè ob conatum & enixam voluntatem ex constitutione pacis publicæ conveniri, & probato conatu cum necessariis suis qualitatibus in Bannum imperiale declarari poterit. Quò pertinet, quod in lege Veter. Test. scriptum est Exod. 21. Qui percusserit hominem volens occidere, morte puniatur. In his casibus & delictis voluntas non sine damno & nece corporis puniri potest, quemadmodum filius de patricidio tenetur, si emit venenum, ut Patri daret, quamvis non potuerit dare. text. in l. 1. in fi. ff. ad legem *P.* de patri. Item capitalis pœna in eum constituta est, qui necandi infantis piaculum aggreditur, etsi effectus non sequatur. text. in c. si quis de pœn. dist. 1.

Bart. pulchr. in d. l. 1. §. Div ff. ad l. corn. de sic. Dd. in locis supra allegatis.

Denique in crimine Sodomiæ, quod omnium gravissimum est, non requiritur consummatio operis, sed voluntas ac conatus actui proximus sufficit, ita ut rem perfecisset, si potuisset, aut nisi aliud impedimentum intercesissset. Et generaliter in omnibus delictis, qui facile in exemplum trahi possunt punitur affectus sine effectu, ut singul. dicit C. in d. l. si quis serv. n. 1. c. d. fur. & ser. corrup. per ill. text. ita in hoc maleficio affectus sine effectu puniri potest.

Quinto, si potest, voluntas punitur, sed non potest, quia illi rem impossibilem planeq; frustraneam suscipiunt, & divinam sibi potentiam falsò arrogant: qui in voluntates hominum affectant imperium

tium. Solius enim Dei esse dominari hominum voluntatibus Theol. rectissimè statuunt & simul dicunt, Deum tria sibi reservasse. 1. Ex nihilo aliquid facere 2. futura scire 3. voluntatibus hominum dominari. Servus quidem jubetur, ut invitatos ad cœnam compellat intrare, sed ille ἀναγκασμὸς vel compulsus non est realis & violentus, quia hic Dei servis vel pastoribus nequaquam competit, sed verbalis & svasorius consistens in continua verbi penetrantis prædicatione & severa pœnarum comminatione, quia non alia, quam isthæc, Ministri verbi, de quibus illorum opinio est, media habent suos ad pœnitentiam convertendi: Nam verbum divinum non est pœna, sed medium auditores ad pœnitentiam compellendi.

QVINTA OBJECTIO.

NOs utimur herbis & hagiographiæ verbis, ergo nostra ars venefica, quæ hominibus utilis & Deo accepta est, non est rejicienda. Respondetur ad propositionem. Ludit diabolus, quasi non esset, qui tamen in Angelum lucis se transformare potest non quoad substantiam, sed quoad simulationem: immo sæpissimè sacræ scripturæ dicta allegare debet non in honorem Dei & bonam intentionem, sed in perniciem hominum & nominis divini abusum. Sciendum quidem est, vim istam curandi non inesse verbis, sed sæpè herbis, quibus malefici, Dei permissu, abutuntur. Nam in multas veluti Proteus præsertim in duas figuras diabolus se convertit, sub quibus plerumq; à veritatis via Christianos abducere molitur: altera nigra est, altera candida. Hac, ut Angelus lucis, illa, ut noctis & tenebrarum Spiritus apparet: Candidus est, quando ex scripturis aggreditur. Quando autem magicas artes adhibet, ibi tum niger omninò & apertè mendax deprehenditur, ita ut cum Horatio dici possit:

Matt. 13. v. 25. 2. Cor. 11. v. 14. Matt. 4.

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Assumptio hujus Syllogismi est nullius ponderis, quia Deus ipse istam artem prohibuit & rejecit. Insuper non facienda sunt mala, ut eveniant bona, quæ ethicè omni vituperatione digna sunt.

Levit. 19. Deu. 18. Rom. 3.

SEXTA

SEXTA OBJECTIO.

MAnasses maleficus pœna capitali non punitus. Ergo malefici non sunt capitaliter puniendi. Resp. 1. distinguimus inter fœdus opertum & apertum cum diabolo initum, Manasses non commisit apertum, quod est, cùm quis non modo pactum cum Satana scienter & prudenter percusserit, sed insuper Diabolo reipsa servit ad gravissima damna, hominibus, jumentis & segetibus inferenda; sed opertum si quis in corde enim fidem adjunxerit diabolo & ejus diabolicis operibus. Hæc superstitio & confœderatio diabolica, quæ opertum fœdus nominatur, magis est delictum spirituale, quam civile, pertinens ad forum poli potius, quàm soli: Ut igitur alia peccata spiritualia, primam tabulam directè impugnantia, non puniri solent capitaliter, ut apostasia, hæresis, Sabbathi prophanatio, licet in se graviora sint peccatis politicis & secundæ tabulæ adversis: ita de confœderatione ista similiter judicandum est; talem cum diabolo confœderationem inierunt Isralitæ, quibus est femoris nervus horribilis, quod in eo perstrictum fuit Jacobi cavum femoris. At in hoc operto maleficio communis regula Juris nostro seculo observetur, Crescentibus delictis, exacerbentur pœnæ. Ut enim in morbis periculosis & magnis remedia extrema sunt adhibenda. Ita adversus homines pejores, pœnæ duriores gravioresq; decernendæ. Jam verò ista maleficia adeò creverant in imperio Romano, ut non minima pars animas suas Diabolo traderet. Exasperatur igitur pœna, & quod sortilegii pœna arbitraria sit, in allegato textu demonstratur: daß die gefangene wegen obgedachter ihrer Verbrechung/ vnd weil sie mit der Zauberey niemand Schaden zugefügt/ vielweniger Menschen vnd Vieh damit getödtet/ mit brennung eines Zeichen zur staupen geschlagen vnd auff 12. Jahr verwiesen seyn sollen.

2. Par. 33.

Gen. 32, 32.

c. 109.

 2. DE-

2. Deus ter Opt. Max. hoc exemplo non licentiam faciendi magico monstrat, sed longanimitatem suam & tolerantiam facti quasi digito, ostendit. Deus enim aliquando aliquid fieri sinit, quo sensu adhuc gravissima peccata permittit.

SEPTIMA OBJECTIO.

REges, Principes, & Judices circa leges de homicidio, de adulterio, de incestu, item de furto &c. dispensant, & transgressores earundem legum non capitaliter puniunt, licet si ista quotidie crescunt & multiplicantur. Ergo in hoc præcepto hujus maleficii dispensare possunt. Respond. *Primo*, conscii sumus, Magistratum dispensare non debere valereq; circa legem naturæ, quæ ab ipso Deo naturæ impressa, & Magistratui tanquam immota Regula; quam unicè spectare, secundum quam omne judicium conformare, & â qua, ne in minimo quidem recedere debet, proponitur. Secundò, non ferit nos hoc telum, quia de jure loquimur, non de facto. Sane nemo est, qui probaverit, si impuniti dimittantur homicidæ, adulteri, incestuosi, fures, & alii, qui capitali pœna digni sunt. Admonetur Magistratus crebrò sui officii, quod si non faciat, culpa aliis imputari nequit. Nostra sententia est, manifestis homicidis, adulteris, incestuosis, furibus non pecuniariam, sed capitalem pœnam esse imponendam. Qui contrarium faciunt & sentiunt, peccant, gravemque rationem summo judici aliquando reddere coguntur.

OCTAVA OBJECTIO.

QUæ pœna legis forensis V. T. non repetita in lege morali N. T. & confirmata, illa est merè forensis & abrogata: capitalis pœna sagarum in lege morali N. T. non de novo repetita & inculcata. Ergo cum lege forensi est abrogata & per consequens sagæ non sunt comburendæ. Minori hanc instantiam maleficus præbet, quia in N. T. pœna maleficii hujus non indicata & præscripta est. Deinde, quia lex de *Prophe-*

tis

tis vel hæreticis occidendis, item lex de stuprata in matrimonium du- *Deu.13.*
cenda, lex de usuris à fratre non exigendis, item lex de filiis contu- *Deu 22, 16.*
macibus lapidandis &c. quæ leges omnes tum temporis *Ex.22.v.16*
erant æquissimæ, apud nos non amplius observantur. Responderi *Deu.21,18.*
potest breviter, quod omnis lex forensis, ut forensis, sit abrogata; *19.20.21.*
Quod autem nonnullæ retineantur, istud fit, vel quia non sunt merè forenses, sed quodammodo morales, ut illa de consangvineis, furibus, adulteris, quia aliæ meliores constitui non possunt. Protinus respondere annitar, legem forensem in certis casibus N.T. esse repetitam & exemplis confirmatam, vel explicitè vel implicitè, si non explicitè tamen implicitè, ut in hoc casu, & lege, quæ universalis & *Ex.22.v.19*
perpetua erit. Quare retinemus legem de maleficis occidendis: quia implicitè pœna de homicidio, quod maleficos etiam concernit, est repetita. Mat. 5. v. 21. Quia nonnunquam homines visu, risu, affatu, afflatu & veneno interficiunt; idcirco exemplo latronum confirmata Matt. 27, v. 38. Quia nonnunquam in Synagogis mariti cum mulierculis congrediuntur, iterum pœna repetita, Matt. 5. v. 27. & qui vult, potest æqua judicii lance perpendere casum, qui cap. 9. Johannis legitur. Quia nonnunquam damna jumentis & segetibus inferunt, & homines, auferendo bona in summum infortunium & extremos animi angores, unde mors sequitur, conjiciunt. Exinde lex forensis, quæ deducta est ex lege naturæ & in decalogo fundata, perpetua est. Ea de causa observamus leges de prohibitionibus graduum, legem de comburendis veneficis, quoniam illæ cum recta ratione conveniunt.

NONA OBJECTIO.

D. D. transgressores in prima tabula decalogi capitaliter non puniendos esse judicant. Licet in se graviora sint peccatis politicis & secundæ tabulæ adversis. Ergo nemo, qui sanioris mentis est, nos capitis pœnâ plectendos esse judicabit, Respond.

Psalm. 51. Prima decalogi tabula concernit Deum, qui requirit spontaneum Spiritum, quo illi serviamus; spontaneum honorem aut vo-
Damasc. l. luntarium obsequium postulat Deus, non coactum aut prorsus ne-
1. de ortho- cessarium, siquidem ἀφίαστον εἶναι πρέπει τὸ καλὸν. Si autem ho-
doxa Fide mines externa vi & pœnâ civili, ad Dei servitutẽ ad ejusdem dile-
cap. 20. ctionem, ad divinum honorem, ad veram invocationem, ad templi frequentationem, immò, ad omnes virtutes quæ ad primam decalogi tabulam spectant, impellantur, quî exhibere potuisset cultum liberum & contingentem? Deinde in secunda decalogi tabula nullum convenientibus medium esse. Dd. dicunt, tot homicidiis, tot adulteriis, tot incestibus, tot furtis, vel tot aliis maleficiis resistendi, & non superfuisse aliud medium ullum, crimina illa frequentissima in imperio Romano compescendi, quam capitale supplicium, quod hodierno tempore à quibusdam negligitur.

DECIMA OBJECTIO.

ARs venefica est ars antiqua & rarissimè punitur. Ergo hujus artis practici pœna capitis non afficiendi sunt. Respond.

Hoc vile & exile fulcrum est, quod nutantem magiam diabolicam non sustinebit. Nam Diabolus & pessimi hominum jactant antiquitatem, tum non semper verum bonumve est, quod antiquum est. Si bonitatis index infallibilis esset antiquitas, tùm sceleratissimæ actiones bonæ essent. Antiquus est diabolus, num propterea bonus? Scortatio est antiqua, num propterea melior?
Gen. 4. Homicidium est antiquum, num propterea est optimum? Legimus in Theographia de v. homine, veteri creatura, veteri fermento, an hæc ob vetustatem bona? Qua de causa Augustinus hunc pro-
tom. 4. lib. bandi modum vocat morem diabolicum, asspersit, inquit, quædam
quæst. V. & præstigia Satanas, per quæ illiceret homines ad errorem, & sic fa-
N.T. quæst. ctum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia, &
4. col. 830 turpis inventio excusaretur.

Cætera argumenta, quæ in contrarium objiciunt, nullius ponderis

ponderis & momenti sunt, ut iis diutius immorari operæ non videatur pretium. Si quis sentiat nota illa esse & vulgaria, non quidem planè diffiteor in genere nota, & unum hæc ex dictis; alium alia scire vel etiam observare: sed hæc conjunctim & quasi in fasciculum collecta, simul ad praxin, si necessitas urget, sunt reducenda. Quoniam nihil restat, commendo igitur probos PRINCIPES & Rempublicam eorundem æterno & propitio Deo, eumque toto pectore submissè rogo, ut ingentes tempestates publicarum calamitatum, quæ ex omni parte orbem Christianum obruituræ esse videntur, benignissimè discutiat ac depellat; denique divina sapientia id faciat, ut maleficos ita sapiant, quæ vera & agant, quæ recta sunt, ad Nominis divini gloriam & animæ eorundem salutem sempiternam, AMEN.



APPEN-

APPENDIX.

Utrum novis Prophetis & novis Prophetissis, qui nostro seculo instinctu Angeli boni & ductu Spiritus Sancti se notitiam mysteriorum in cognoscibilium & rerum futurarum habere, jactitant, credendum sit? Respond.

QUod vero nonnulli arbitrantur, homines istos, qui ad annuncianda (ut falso putant) divina, bonos Christianos & ab Angelis bonis instructos esse, sive per somnia divina, sive per visiones, insigniter falluntur. Nam in hoc casu duo sunt observanda: Primò, Personæ divinantes; quales fuerunt Prophetæ & Apostoli, qui instinctu & ductu Spiritus Sancti summorum mysteriorum, aliàs plane incognoscibilium notitiam habuerunt; & iisdem divinationes revera Spirituales ab ipso Deo immissæ, & in salutem generis humani concessæ fuerunt: Sed tales Personæ divinantes in N. T. & quidem nostro ævo, in quo Messias apparuit, non existere debent ac valent. O bone Deus! quam multi Spiritum Propheticum jactitant, & de rebus futuris arcanisque se vaticinari posse, fingunt. Quid enim tales Prophetæ & Prophetissæ, ex quibus hoc vel illud percunctatur, aliud sunt, quam oracula quædam ethnica, â quibus consilia unà cum auxilio expectantur? Deinde Θεομαντεία sive divinatio Pythonissarum, quæ est rei sive futuræ sive alias occultæ & arcanæ cognitio, maxime vituperium meretur. Non dico de merè naturali & populari, quæ divinationes, nisi superstitio accedat, tolerari possunt. Personæ autem nostro ævo divinantes a Deo sunt alienæ, ergo rejiciuntur; verba earundem sunt falsa, ergo negantur; media ejusdem scientiæ sunt illicita, ergo prohibentur. Nam vel contra pietatem & honestatem, vel contra testimonium divinum & propriam conscientiam, se posse, de rebus gravibus loqui jactitant. Quoniam autem

tem

tem res ſeſe habet, idcirco ad Argumenta, ſine quibus hæc res explicari non poteſt, proficiſcar, & perſonalem retorſionem per contradictionem & oppoſitionem illis inferam, & realem refutationem verborum adducam, hiſce argumentis.

Primum.

Divinationes ſpirituales & viſiones Angelicæ aut Prophetis in V.T. & Apoſtolis in N.T. ſolùm, aut ſimul omnibus hominibus tribuuntur; ſed Prophetis & Apoſtolis ſolùm, quia Prophetarum propria erant & non omnibus conveniebant: removeatur ambiguitas; Joel. cap. 2. v. 28. in noviſſimis diebus effundet Dominus Spiritum ſuum ſive de Spiritu ſuo, ſuper omnem carnem & ſuper filios & filias, & juvenes, & ſeniores, & ſuper ſervos, & ancillas. &c. Quando Deus dicit, effundam Spiritum meum, intelligit dona tàm ſanctificantia, quàm adminiſtrantia, quæ ſuper omnem terram effudit; Nam ſpeciatim promiſit Jehova ſuum Spiritum, primò Judæis, qui per filios & filias, juvenes & ſeniores intelligi poſſunt, quique viderunt viſiones ac habuerunt ſomnia in veteri Teſtamento, ſub quo umbræ fuerunt, ut Theographia docet, Coloſ. cap. 2. v. 18. & in Epiſt. ad Ebr. cap. 10. v. 1. & ad Rom. cap. 13. v. 12. Deinde ſuum Spiritum Gentibus promiſit, quæ accipi poſſunt per ſervos & ancillas, qui jam prophetant: ſiquidem in veteri Teſtamento vivunt & Prophetarum vaticinia dextrè docent ac diſcunt. Ergo non omnibus præſertim in N. Teſtamento Gentibus, Prophetiæ, viſiones, ſomnia divina, & vaticinia tribuuntur.

Exinde ſequitur, quod noſtri Prophetæ & Prophetiſſæ ſimiles ſint Pythonibus & Pythoniſſis, qui nullo tempore nec conſuli nec audiri poſſunt, Deus enim, Levit. 19. Deut. 18 prohibuit & exprobratur Manaſſi, quod tales Pythones adhibuerit. 2. Par. 33. quinimmo graviter puniantur, qui iſtos homines adeunt audiuntque, ut exempla, Saul. 1. Sam. 28. & Ahaſiæ 2. Reg. 1. docent ac teſtantur.

II. Argumentum.

Si divinatio spiritualis Personæ alicui convenit, ei aut ante Messiæ apparitionem, aut post illam; non autem post Christi nativitatem, Weiln siebenzig Wochen sind bestimt vber dein Volck/ so wird dem Vbertreten gewehret/ die Missethat versühnet/ vnd die Gesicht vnd Weissagung zugesiegelt/ vnd der allerheyligste gesalbet werden. Quamvis interpretes hæc verba ita explicant, ut in Christo omnia Prophetarum de ipsius persona, nativitate, miraculis, passione, resurrectione, officio, vaticinia impleta fuerint: attamen Prophetæ, illorum divina somnia & vaticinia usque ad Christum durare debuerint, ut Christus docet Matt. 11. v. 13. Apostolis quidem miracula & visiones familiares erant, quia Deus ad fidem in Christum confirmandam illis quasi extraordinaria dona ac media largitus est, ergo ante nativitatem Prophetis convenit, & in Novo Testamento non amplius aliis. Nam per istos Prophetas prædicit Spiritus bonus aut malus. Non autem bonus; quippe quo carent ad Rom. cap. 8. & ad Ephes. cap. 4. Ergo malus, qui mendax Johan. cap. 8. Quam incerti & impii isti Prophetæ sunt, monstrat Ezechiel cap. 13. Weh den tollen Propheten/ die jhrem eigenen Geist folgen/ vnd haben doch nicht Gesichte. Jhr Gesicht ist nichts vnd jhr Weissagen ist eitel Lügen. Sie sprechen der Herr hats gesagt/ so sie doch der Herr nicht gesandt hat. Vnd mühen sie/ daß sie jhre Ding erhalten. Ist nicht also daß ewer Gesicht nichts ist/ vnd ewer Weissagen ist eitel Lügen? Vnd sprecht doch? Der Herr hats geredet/ so ich es doch nicht geredet habe. Vnd meine Hand sol kommen vber die Propheten/ so das sagen/ da nichts darauß wird/ vnd Lügen Weissagen vnd mein Volck verführen/ vnd sagen Friede/ so doch kein Friede ist.

Dan. 9, 24.

III. Ar-

III. Argumentum.

In qua divinatione ſunt contraria verba, ea non à bono Angelo ſive bono Spiritu ſcaturiunt; quia contraria verba in illos non cadunt. Atqui in divinatione noſtrorum *P*rophetarum, ſi quis ea æqua judicii lance perpendat, ſunt contraria verba. Ergo non â *D*eo ſive bono Angelo proficiſcuntur. Verba notant ingenium non liberi boniquc ſpiritus, ſed pravæ naturæ, quæ ſcientiam acquirendam amat, avaritiam quærit & ſuperbiam diligit; ſi viſiones Angelicæ videantur, ablegatæ eſſent, ad annuncianda non ſuperflua, non otioſa, ludicra aut cognitu facilia, qualia noſtri *P*rophetæ proferunt, ſed cœleſtia, divina, omnique homini aliàs prorſus incognoſcibilia, ut in Daniele & Apocal. Johannis expreſsè monſtrantur.

IV. Argumentum.

Quæ media acquirendæ ſcientiæ ſcriptura tacet, tacendo negat, illa ſunt rejicienda; Atqui prophetias audire, viſiones expectare ſunt talia media, quæ ſcriptura in Novo Teſt. tacet, tacendo negat. Ergo plane ſunt rejicienda. Nam ad ſcripturam ablegamur in Johan. cap. 5. v. 39. & in Epiſtola. Paulina 1. Timot. 4. v. 16 Quid prophetiis, divinationibus, vaticiniis, ſomniis & Angelicis viſionibus opus eſt? Nam in Theographia ſigna gratiæ & iræ inveniuntur, inibi prodigia, quæ indicant comminationes pœnarum, quibus gratiæ divinæ contemptores Dominus ſit vindicaturus, videntur: immo in verbo divino conſilia & remedia audiuntur, ſed ſufficit, in hac materia notare præcipua, quæ nobis alia reducant in memoriam, in quibus ſi unus vel alter me operæ pretium feciſſe judicaverit, erit de quo mihi gratuler, ac ad aliorum commodum plura, ſi res ita tulerit, in lucem emittenda me devinctum agnoſcam.

FINIS.

Author

AD PROBOS PRINCIPES

ET JUSTITIARIOS:

LUC. 10. v. 20.

Χαίρετε καὶ ξυναείδετέ μοι θεὸν αἰὲν ἐόντα.
Αὐτὸς μὲν γὰρ τειρομένους ὀδύνῃσι κακῇσιν.
Οἰκτείρει τε καὶ ἀῤῥώστων ἐπακούει ἁπασῶν
Οἵ μιν κικλήσκουσιν ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντες.

AD MALEFICUM.

DIvinæ codex (dictu mirabile) Legis
Increpat HUNC, piceoque igne cremare jubet,
Qui magicum GENIUM colit, atq; idola Deastrum
Consulit, & simili decipit arte. Mage,
PROCESSUM Juris, Rationesque ordine cernis,
Qui te mirifico corripit ore loquens:
Argumenta Magi, quoniam sunt, vana, caduca,
Temnere nos prorsus pagina sacra monet.
Cædit & igne DEUS funditq; immania monstra,
Quæ sua vota petunt, quæ malus error habet.
Moris id est, magicos semper victoria truncat.
Interea justus vivit ovatq; Fide.

J. H. C. F.

Novena Cohors
Sororum Sacrarum
Ornat,
Veneratur & donat
Hocce
Cordis mentisq; συμβόλῳ h. e.
Felici & ominoso nominis
augurio
VIRUM
Reverendâ virtutum Theologicarum cohorte
stipatum,
Spectandâ rerum scientiâ
effertum,
Venerandâ modestiæ & humanitatis famulâ
circumdatum,

DN.
JOHANNEM HOFFMANNUM CULMBACENSEM,
Castrorum olim Svecicorum Pastorem vigilantissimum, nunc verò apud suos Culmbacenses vitam degentem privatam,
in
Casu nominativo:
Johannes Hoffman Culmbacensis:
Offam Lambis, an joco censes?

NEpos Fulminis improbi facunde,
Nunc *Offam* Sapientiæ sacratam
Sacras *Lambis: Joco an*, beate Fautor,
Censes? Non joculo effero; metrum vix
Lubricum facilè svadet almi
Amoris teneram ita tesserellam

Laxare & pedibus suäviter nunc
Calcare. Hem Sapientiæ Sacratæ
Radices serito! Meis phaleucis
Nestoris Senium precor tibi, atq;
Florentem Venerem, citos Iovis
Taxillos. *Pie fautor ac amande*
His Vale. - - - - -

fudit ex tempore
Tuus sine fuco
M. J. Haussingerus;



LYCOPHRONTICUM ÆNIGMA:

in quo
Per ominosam Nominis μετάθεσιν apprimè delineatur
Reverendus & Clar. VIR,
DN.
JOANNES HOFFMANNUS CULMBACEN. TUM
EXERCITUS VINARIO-SVECICI ECCLESIASTES
CASTRENSIS:
Fautor meus benevolus.
Anagrammatismo perfecto:
EXERCERE SUAM SAT MUSAM SIC VALET: AUSIS
NUNC LICITE HEIC CERTANS: NOBIS NEC INOFFICIOSUS:
prout interpretatur,
Et simul omnem animæ animiq; incolumitatem
adprecatur I mq;

M. EBERHARDUS PALUDANUS P.L.C.
p. t. Scholæ Backnangensis Wittembergicæ
Præceptor

Errata crassiora Benevolus lector sic corrigat:

15.

In Tit. l. 17. lege Castrensi. Col. 5. l. 6. Malevolentia. l. ii utriusq; Col. 6. l. 15. Malevolentia. Col. 9. l. 4. quo non legatur. Col. 14. l. 5. accusationis. Col. 26. l. is. est. Col. 28. l. 18. apprehendendam. Col. 29. l. 1. fœtor Col. 3. l. apprehendendum. Col. 31. l. 4. lege ante, Col 33. l. 6. serviat. Col. 35. l. 10. convenientius Col. 36. l. 5. servitutem,